DAS LIEBESCONCIL.

Idus Aprilis habitum est concilium hoc in monte Romarici.

Veris in temporibus sub Aprilis idibus
Habuit concilium Romarici moncium
Puellaris concio montis in cenobio.
Tale non audivimus nec fuisse credimus
In terrarum spacio a mundi principio,
Tale nunquam factum est, sed neque futurum est.
In eo concilio de solo negocio
Amoris tractatum est, quod in nullo factum est;
Sed de evangelio nulla fuit mencio.
Nemo qui vir dicitur illuc intromittitur.
Quidam inde aderant, qui de longe venerant:
Non fuerunt laici, sed honesti clerici;
Hos honestos senciunt, intus et suscipiunt.
Ianua Tullensibus aperitur omnibus,
Quorum ad solacium factum est concilium.
Puellis amantibus, illis solis omnibus
Ianue dat aditum ceteris prohibitum.
Ianue custodia fuit hec Sibilia
Que ab annis teneris miles facta Veneris,
Quicquid amor iusserat, non invita fecerat.
Veteranae dominae arcentur a limine,
Quibus omne gaudium solet esse tedium,
Gaudium et cetera que vult etas tenera.
Intromissis omnibus virginum agminibus
Lecta sunt in medium quasi evangelium
Precepta Ovidii doctoris egregii.
Lectrix tam propicii fuit evangelii
Eva de Danubrio, potens in officio

21. limine *die hs.* 24. agminum virginibus *hs.* 27. Lectrix] Littera *hs.*

Artis amatoriae, ut affirmant aliae.
Convocavit singulas, magnas atque parvulas.
Cantus modulamina et amoris carmina
Cantaverunt pariter satisque sonoriter,
De multis non quelibet, due sed Elizabet.
Has duas non latuit quicquid Amor statuit,
Harum in noticia ars est amatoria;
Sed ignorant, opere quid vir sciat facere.
Post hec oblectamina cardinalis domina
Astitit in medio, indicto silentio,
Vestita, ut decuit, veste qua refloruit.
Hec vestis, coloribus colorata pluribus,
Gemmis fuit clarior, auro preciosior,
Mille Maii floribus hinc inde pendentibus.
Ipsa virgo regia, mundi flos et gloria,
Florens super omnia quasi Veris filia,
Hec talis in omnibus docta satis artibus,
Habens et facundiam secundum scientiam,
Postquam cetus siluit, ea sic aperuit.
'Vos, quarum est gloria amor et lascivia
Atque delectatio Aprilis cum Maio,
Notum vobis facimus, ad vos quare venimus.
Amor, deus omnium quotquot sunt amancium,
Me misit vos visere et vitam inquirere.
Sic Maius disposuit et Aprilis monuit.
Vos ergo benigniter et amicabiliter
Obtestor et moneo, sicut iure debeo,
Nulla vestrum sileat, que vos vita teneat.
Si quid corrigendum est, vel si cui parcendum est,
Meum est corrigere, meum est et parcere.'

Elisabet de Granges loquitur.

'Nos, ex quo potuimus, Amori servivimus:
Quicquid ipse voluit, nobis non displicuit,
Et si quid negleximus, inscienter fecimus.
Sic servando regulam nullam viri copulam

46. et *H* (*Haupt*): *fehlt in der hs.* 52. vos] ad vos *hs.*
57. est, *beide mal, H: fehlt in der hs.*

Habendam eligimus, sed neque cognovimus,
Nisi talis hominis qui sit nostri ordinis.'

Elizabet de Falcon.

'Clericorum gratiam laudem et memoriam
Nos semper amavimus et amare cupimus,
Quorum amicitia nil tardat solatia.
Clericorum copula, non nostra regula,
Nos habet et habuit et placet et placuit,
Quos scimus affabiles gratos et amabiles.
Inest curialitas clericis et probitas;
Non noverunt fallere neque maledicere;
Amandi periciam habent et industriam;
Pulchra donant munera, bene servant federa;
Si quid amant dulciter, non relinquunt leviter.
Pro his, quos assumpsimus, ceteros postponimus.
Vota stulta frangere non est nefas facere;
Nulla est dampnatio, sed neque transgressio,
Si votum negligitur quod stulte promittitur.
Experto credendum est, cui bene certum est.
Certum est et cognitum quid sit amor militum,
Quam sit detestabilis, quam miser et labilis.
Per insipientiam eorum noticiam
Inprimis quesivimus, sed cito cessavimus.
Dolus ut apparuit in eis qui latuit,
Inde nos transtulimus ad hos quos notavimus,
Quorum est dilectio omni carens vicio,
Quorum amor utilis firmus est et stabilis.
Quid dicemus amplius, nisi quod ulterius
Nulla valet racio a nostro solacio
Clericos disiungere omni gratos opere.
Puellis claustralibus vobis dico omnibus,
Est quedam abusio militum susceptio,
Nefas est et vetitum et nobis illicitum.
Amplectando clericum sic recuso laicum.
Amor, deus omnium, iuventutis gaudium,

63. Haliendam *hs.* 65. laudem *H:* laude *hs.* 68. non] n̄ : *vielleicht* et non *oder* neque 69. habet] habe *hs.* 80. *vielleicht* Prae. *H.* 82. frange *hs.* 85. Experto *H*: E aperto *hs.* 95. a] et *hs.*

Clericos amplectitur   et ab eis regitur,
Tales ergo diligo,   stultos quoque negligo.
Tali vita vivimus,   in qua permanebimus,
Si vobis laudabilis   videtur et utilis,
Et si quid peccavimus,   si vultis, cessabimus.
'Ipsis amatoribus   circumspectis omnibus,
Utiles non adeo   amatores video
Quam istos quos laudibus   prefertis in omnibus.
'Nos a puericia   semper in familia
Amoris permansimus   et manere cupimus:
Sed est nobis alia   amandi sententia.
Qui student miliciae   nobis sunt memoriae;
Horum et milicia   placet et lascivia,
Horum ad obsequium   nostrum datur studium.
Audaces ad prelia   sunt pro nostri gratia;
Ut sibi nos habeant,   et ut nobis placeant,
Nulla timent aspera,   nec mortem nec vulnera.
Tales preelegimus,   tales nostros fecimus;
Eorum prosperitas   est nostra felicitas,
Eorum tristicia   nostra turbat gaudia.
Semper, ex quo potui,   sectam illam tenui,
Et semper desidero,   dum habere potero,
Servire militibus   mihi servientibus.
Tale vero studium   magis quam psalterium,
Talibus me iungere   placet plus quam legere;
Propter horum copulam   parvi pendo regulam.
Nostrum illis atrium   est et erit pervium,
Et fontem et pascua,   que habemus congrua,
Equis exposuimus   quos eorum novimus.
Tali vita vivere   gaudemus summopere,
Quia nulla dulcior   nullaque commodior,
Et quia sic novimus   et sancte iuravimus.'
'Nos parum regnavimus,   parum adhuc fecimus;
Sed flores colligere,   rosas primas carpere.

107. *hier und später der wechsel der redenden ohne bezeichnung in der hs.*   108. adeo *H:* audio *hs.*   112. Sed *H:* Si *hs.*
114. 115. Horum *H:* Eorum *hs.*   117. habeat *und* placeat *hs.*
125. spalterium *hs.*   128. illis *H:* illud *hs.*   129. pascuam *und* congruam *hs.*

His tantum concessimus quos de clero novimus.
Hec nostra professio erit et intentio,
Clericis ad libitum persolvere debitum,
Quotquot oblectamina viro debet femina.'
'Idem proposuimus et voto firmavimus,
Quicquid dicant alie nobis adversarie.
Clericis nos dedimus nec eos mutabimus.
Clericorum probitas et eorum bonitas
Semper querit studium ad amoris gaudium.
Sed eorum gaudia tota ridet patria:
Laudant nos in omnibus rithmis atque versibus.
Tales iussu Veneris diligo pre ceteris.'
'Dulcis amicicia clericis est gloria.
Quicquid dicant aliae, apti sunt in opere.
Clericus est habilis dulcis et affabilis.
Hunc habendo socium nolo maius gaudium.
Omne votum utile firmum sit et stabile,
Sed quod est illicitum, habeatur irritum:
Nam stulta promissio non est absque vicio.'
'Vos quarum prudentia apta dat consilia,
Nunc illud attendite et bene discernite,
Amor quarum apcior, quarum est diterior.
Militum noticia displicet et gratia,
Quibus inest levitas et stulta garrulitas.
Gaudent maledicere, secretum detegere.
Hoc ergo consilium damus et iudicium,
Ut cunctis odibiles sint et execrabiles
Que se militaribus implicant amoribus.
Novi vitam omnium et mores amancium,
Novi qui sint mobiles et nobis inutiles.
Nulla est felicitas, sed neque fidelitas
In amore militum, quod est multis cognitum.
Hos vitandos ducimus et iure decernimus.
Clericos diligere bonum est et sapere,

137. erit et int.] est et intentio erit *hs.* 139. viro *H:* virgo *hs.* 141. Quidquic *hs.* 145. Sed] *deutlicher für den zusammenhang wäre* Per. *H.* 148. amicia *hs.* est et gl. *hs.* 163. vita *hs.* 167. quod nobis est multis c. *hs.* 168. vitando *hs.*

Eorum dilectio magna delectatio.
Hos tantum suscipite, ceteros negligite.'
'Quia sic decernitis et iure consulitis,
Nunc ego praecipio, eas in consorcio
Nostre non recipiant, nisi satisfaciant:
Sed si penituerint et se nobis dederint,
Detur absolucio et talis condicio,
Ne sic peccent amplius, quia nil deterius.
Hoc mandamus etiam per obedienciam:
Nulla vestrum pluribus se det amatoribus;
Uni soli serviat et ille sufficiat:
Hoc si qua neglexerit, banno nostro suberit:
Non levis remissio fiat huic vicio;
Levi penitentia non purgantur talia.
Nunc demum precipio, sed non sub silencio,
Ne vos detis vilibus nec unquam militibus
Tactum vestri corporis, vel colli vel femoris.
Talibus solacium dare vel colloquium
Dolor nobis maximus est et pudor plurimus.
Militum solatia nobis sunt opprobria,
Quia, cum non creditur, fama turpis oritur,
Quorum ex infamia nostra perit gloria.
Precor vos summopere clericos diligere,
Quorum sapientia disponuntur omnia,
Totum quicquid agimus, vel cum nos desipimus.
Causas nostras agere student atque regere.
Quantum possunt etiam per eorum gratiam
Nostra quedam abdita numquam erunt cognita.
Si placent quae diximus, quae vobis suggerimus,
Horum confirmacio sit vestra responsio:
Si cui displiceat, hec nequaquam taceat.'
'Omnis nostra concio sedens in concilio,
Ut vestra prudencia dictat, laudat omnia;
Placet iunioribus, placet nobis omnibus.

170. negligite *über* postponite *hs.* 172. *die vorsitzende spricht.* 177. Ne sic *H*: Nec si *hs.* 178. etiam *H*: et *hs.* 181. neglexitit *hs.* 186. colli *H*: cori *hs.* 187. vel *H*: *fehlt in der hs.* 188. est *H*: *fehlt in der hs.* 192. celricos *hs.* 194. quicquic *hs.* 198. palcent *hs.* 201. distat *hs.*

Quicquid vestra probitas   firmat et auctoritas,
Nuncietur alias   per omnes ecclesias,
Nostrisque sororibus,   puellis claustralibus,
Faciamus cognitum   quid sit eis vicium.
Omnia quae diximus   quaeque confirmavimus
Non ullo sophismate
Sed racionabiliter   stabunt et perhenniter,
Nisi sic peniteant,   clericis ut faveant.
Huius banni racio   vestro sit consilio.'
'Igitur attendite,   amen tantum dicite.'

(Excommunicatio rebellarum.)

'Vobis iussu Veneris,   et ubique ceteris,
Que vos militaribus   subditis amoribus,
Maneat confusio   terror et contricio,
Labor infelicitas   dolor et anxietas,
Timor et tristicia,   bellum et discordia,
Fex insipientie,   cultus inconstancie,
Dedecus et tedium,   longum et opprobrium,
Furiarum species,   luctus et pernicies.
Luna, Iovis famula,   Phebus, suus vernula,
Propter ista crimina   negent vobis lumina.
Sic sine solamine   careatis lumine.
Luna dies celebris   trahat vos de tenebris,
Ira Iovis penitus   destruat vos celitus.
Huius mundi gaudia   vobis sint opprobia
Omnibus horribiles   et abhominabiles
Semper sitis clericis,   quae favetis laicis.
Nemo vobis etiam   ave dicat obviam.
Vestra quoque gaudia   sint sine concordia.
Vobis sit intrinsecus   dolor et extrinsecus.
Vivatis cotidie   in lacu miserie.

205. clastralibus *hs.* 207. quaeque *H:* que *hs.* 209. stabunt *H:* stat *hs.* 210. Ni sic *hs.* 213. iussu *H:* visu *hs.* 222. nenēt *hs.* 224. *die verderbte zeile weiſs ich nicht mit sicherheit herzustellen; in* dies *wird* Ditis *stecken, denn ein gegensatz zu dem folgenden* Iovis *wird verlangt. H.* 226. sint *fehlt in der hs.* 228. Semperque *hs.*

Pudor [et] ignominia vobis sint per omnia,
Laboris et tedium, vel pudoris nimium,
Si quid est residuum, vobis sit perpetuum,
Nisi spretis laicis, faveatis clericis.
Si qua penituerit atque satisfecerit,
Dando penitentiam consequetur veniam.'
'Ad confirmacionem omnes dicimus Amen.'

235. est *H: fehlt in der hs.* 237. atque *H:* et *hs.*

Das vorstehende gedicht habe ich aus der Trierer handschrift 1081 (LXXI) *abgeschrieben, wo es nach einer wichtigen briefsammlung auf besonders paginierten blättern steht, soweit ich mich jetzt erinnere, von einer hand des* 11*n oder spätestens des* 12*n jh. geschrieben: vergl. Archiv* 7, 598. *grofse geschicklichkeit und kunst hat der verfafser nicht besefsen und in keiner weise läfst sich die ausführung mit der des bekannten gedichtes* De Phyllide et Flora (*in Aretins beiträgen* 7, 302*ff.*)* *vergleichen. doch erfreut eine gewisse lebendigkeit und derbheit und der gedanke den gegenstand auf einer kirchenversammlung verhandeln und zu gunsten der cleriker förmlich entscheiden zu lafsen ist eigenthümlich. das local, kloster Remiremont, und die beiden namen* de Granges *und* de Falcon *weisen auf den südlichen theil der Touler diöcese hin.*

G. WAITZ.

* *Jac. Grimm Ged. des ma. auf könig Friedrich* I *s.* 78*ff. eine hs. des gedichtes von Phyllis und Flora, aus dem* 14*n jh., befindet sich in Berlin, Bibl. Sant.* 28 *bl.* 23, *eine andere aus dem* 14*n jh. in der Pariser bibliothek, Narbonne* 980: *s. Pertz Archiv* 8, 853*f.* 7, 302. *eine aus demselben jh. in Wien, Denis* 1, 2, 2318.